

Johannes Herbinus

**Status Ecclesiarum Invariatae Augustanae Confessionis In Polonia Addictarum,  
Nec non earundem supplex Petitio Ad Venerabiles Superintendentes,  
Praepositos, Pastores & SymMystas Ecclesiarum Megapolitanarum. Quam, qua  
par est observantia, Die 13. Februarii Anno M. DC. LXXI**

Gustroiae: Scheppelius, [1671]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110656>

Druck Freier  Zugang





53



*H. 1253.*












14  
21

# STATUS ECCLESIARUM INVARIATÆ AUGU- STANÆ CONFSSIONI IN POLONIA ADDICTARUM,

Nec non earundem supplex

## PETITIO



AD

Venerabiles Superintendentes, Præpositos,  
Pastores & SymMyftas Ecclesiarum  
Megapolitanarum.

Qvam, quâ par est obſervantiâ, Die 13. Februarij  
Anno M. DC. LXXI.  
inſtituit

M. JOHANNES HERBINIUS,  
Nobilitatis & Ecclesiarum in Polonia Luth-  
ranarum ad Exteras Orator, & Gymnafii  
Bajonaviensis Professor.

GUSTROIÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHEIPPELII,  
Chalcographi Aulici,

J. J. — 1253.



Reverendissimi ac Excellentissimi ANTISSIMES,  
Admodum Reverendi & Amplissimi PRÆPOSITI,  
Reverendi & Clarissimi PASTORES,  
DOMINI, PATRES, ET FRATRES NOSTRI IN  
DOMINO JESU OBSERVANDI.

Ecclesiæ universæ in Regno Poloniæ Evangelii  
Sinceritatem profitentes Paternis & Fraternalibus Charita-  
tibus Vestris, salutem gratiam, & omnimodam benedictio-  
nem à DOMINO JESU, ex animo devoto  
& fraterno, precantur!



Ognovistis procul dubio, Patres & Fra-  
tres Venerabiles, ex fama publica, quæ fue-  
rit sitq; adhuc Ecclesiarum in Polonia ortho-  
doxarum conditio: quam ego, ab iisdem è Polonia in  
eam rem denuo Warlaviâ missus Charitatibus Ve-  
stris Paternis & Fraternalibus, nunc, quæ æquum est obser-  
vantia, paucis aperio.

Ecclesiæ Invariatae August. Confessioni addictæ,  
mox à temporibus B. Lutheri, Evangelium prædicare  
in Polonia, unà cum Husitis, qui ante Lutheri exor-  
tum illuc concesserant, strenuè cœperunt. Venerant  
quoq; eòdem & Helvetii, quibus inter Magnates sui  
quoque fautores non deerant. Quæ distinctæ Religio-  
nibus Ecclesiæ Papatum zelo calente oppugnantes,  
cum imminere sibi à Clero Romano persecutionis  
tempestatem viderent, confestim, Synodo Sendomiriæ  
indictâ, Anno 1577. salvâ cujusq; partis Confessione,  
in unum quasi corpus coaluere, seq; Pontificiis, unius  
viri instar, opposuere. Conabantur tum etiam Soci-  
niani (alias vulgò Ariani) Racovienses in Synodo il-  
la sese illis adjungere; sed rejecti ad proprias partes  
recesserunt, nec unquam Ecclesiæ nostræ, ne in dam-  
nata



nata ipsorum hæreseos suspicionem venirent, congregari cum illis, aut facere quicquam voluerunt. Qui Soci-  
niani tandem, imperante JOHANNE CASIMIRO Rege, in  
Comitiis, publicè à Polonia proscripti atq; ejecti ita  
sunt, ut pedem ibi figere nemini huic hæresi addicto  
amplius liceat. Tandem Husitæ, alio nomine *Fratres  
Unitatis Bohemica Confessionis* dicti, posteaquam in partes  
Helvetiorum concessissent, filios suos ad Academias  
Reformatorum, in Angliam, Belgium, Galliam, Hei-  
delbergam, aliaq; mittebant in loca, ibiq; deprava-  
tos Ecclesiis suis promiscuè præficiabant, qui postea  
horrenda Calvinianorum, de absoluto Dei decreto  
Reprobatorio, de Persona Christi, Cœnaq; & Sacra-  
mento dogmata, non sine convulsione tranquillitatis  
publicæ & scandalo, spargebant, nostrosq; tanquam  
carnivoros Flacianos, ludibrio passim apud Magnates  
habebant atq; contemtu. Quò facto irritatæ Eccle-  
sia nostræ Augustanæ, edito in lucem libro protesta-  
torio, quem vocant, divortium à Fratibus Bohem.  
Confessionis irrevocabile fecerunt, nec amplius,  
quacunq; se persecutionis premente tempestate,  
coire in unum corpus potuere, quod ipsum Acta  
Colloqvii Charitativi, à WLADISLAO QVARTO, Rege  
olim Poloniæ gloriosissimo, Thorunii in Borussia, An.  
1645. coacti, ostendunt. Appellabamur autem vulgò  
in Polonia nos Lutherani quidem, *Saxones*, (die alte  
*Sachsen*) Reformati verò *Piccardi*. Quam secessio-  
nem ita quidem fecerunt Ecclesiæ Lutheranae, ut eò-  
dem tamen Gymnasio cum Reformatis gauderent,  
Juventutemque suam, horis distinctis, Partis utriusq;  
Professores, sumptibus communibus, erudirent. Quò  
Gymnasio Lessnæ in Majori Polonia, nupero bello  
Svedico, flammis una cum urbe ipsa sublato, Ecclesiæ



Lutheranæ, (confecto bello illo, ex ruderibus sese re,  
colligere, &, confluentibus ad nos in Poloniam mul-  
tis exulum, à Cæsare ex Bohemia, Moravia & Silesia,  
Religionis Augustanæ causâ, ejectorum, & quidem  
mox ab cruenta illa Ordinum Evangelicorum executi-  
one, Pragæ An. 1622. peractâ, usq; ad hæc tempora,  
quibus persecutio Cæsariana grassari in Lutheranos  
nondum desinit; tandem Nobilitas, Civitates, & uni-  
versæ ampliùs centum & quinquaginta Ecclesiæ nostræ,  
de tot gentium in Polonia exulantium juventutis salu-  
tari in sincera Evangelii doctrina informatione solliciti,  
convocatâ Synodo Generali Bojanoviæ An. 1663, die  
20. Novemb. imploratoq; Spiritus S. auxilio. Inv. Aug.  
Confessione denuo subscripserunt, seq; ad Evangelii  
sinceritatem constanter profitendum, novo iterum sa-  
cramento obstrinxerunt. Cui Evangelio propagan-  
do, ne juvenus sua in Collegiis Jesuitarum, ut antes  
hac defectu Scholæ Orthodoxæ, pessumdaretur ampli-  
ùs, Gymnasium aliud ibidem Bojanoviæ erigere consen-  
su communi decreverunt. Cæterum, se tot deplora-  
tis bellorum calamitatibus exhaustos ac depauperatos,  
tantæ Gymnasii foundationi sufficere minime posse, vi-  
dentes; me indignum servum suum, literis fidei publicæ  
atq;ve autoritate Synodali munitum, ad imploran-  
dum Regum Septentrionalium, & S. R. Imperii Prin-  
cipum atq; Urbium Orthodoxarum, subsidium Eccle-  
siasticum, ablegârunt. Et fecerunt quidem S. R. J.  
nec non Danicæ & Svecanæ Ecclesiæ fraternæ, nobis  
nexu Evangelii Vobiscum conjunctissimæ, officium  
Charitatis, contuleruntq;ve necessitatibus nostris, pro  
facultatibus, liberalissimè.

Dum autem interim auxilia Ecclesiastica in Svecia col-  
liguntur, Rex noster Poloniæ JOH. CASIMIRVS regno se  
abdi-



cat; Poloni verò, decessu isto consternati, ad nova Elec-  
tionis Comitia Warssaviam confluunt, quò & ego, ad col-  
laborandum in negotio Religionis, è Svecia evocatus  
eram. Ubi, quæ pericula, quos labores atq; curas, Re-  
ligionis avitæ Augustanæ retinendæ causa, subierimus,  
effari non datur. Etenim Legatus Sedis Romana GA-  
LEATIUS, Archi-Episcopus Corinthiensis, nec non Epif-  
copus Posnaniensis, aliiq; multas tum ibi turbas nostris  
dabant; eoq; jam res nostra redierat, ut omnes Disfi-  
dentium nomine appellati Warssavia negotiantes (Lu-  
therani illi essent sive Calviniani) primùm infames,  
honorum indigni atq; incapaces; (uti vocant) edictò  
publico notarentur; postea in Templo Cathedrali  
ex suggestu per Concionatorem fulmine Anathema-  
tis ferirentur, extinctoq; & abjecto è suggestu cereo  
ardente, nec non campanis commotis, tanquam ma-  
ledicti Hæretici, Sathana & orco in prædam traderen-  
tur; tantaq; Cleri Romani in nostrates ibi tum erat ra-  
bies, ut ipsismet etiam Pontificiæ Religionis addictis ci-  
vibus, qui fortè consvescerent cum nostratibus, aut  
eosdem hospitiò exciperent, eodem anathemate, non  
sacris tantùm, sed aqua & igni etiam interdiceretur,  
utq; intra trium aut quatuor hebdomadarum decursum,  
ex Urbe Warssavia & Ducatu Masovia, cum Lutheranis  
excederent, edictò affixo juberentur. Nostri igitur  
miseri, actum jam de se suisq; rebus esse videntes, exilio  
publico se, uxoresq; & liberos suos tristi admodum occu-  
patione, cum planctu magno, accingebant; interceden-  
te verò magno SVECIE Legato, tempestas illa statim  
nonnihil remiserat. Tandem, cum recens electo Re-  
gi MICHAELI jura Majestatis legesq; & formula juramen-  
ti à Republ. sub dio, in agro Warssaviensi, pararentur,  
interea supra nominatus Sedis Romana Legatus à La-  
tere



tere aliq; Episcopi, ut clausula illa in formula juramenti longo usu recepta, quã Dissidentibus à Romana Religione, de pace, securitate, iisdem cum Pontificiis juribus, liberoq; Sacrorum exercitio publicè ac solenniter cavetur, ommitteretur, aut omnino expungeretur, quibuscunq; poterant artibus & consiliis moliebantur; posse, aiebant, tolerari in Regno Dissidentes, modò nepari cum Rom. Catholicis gaudeant jure atq; libertate; opprimendum in herba malum, ne, agentibus in Regno radices Dissidentibus, hæresis universam tandem occupet Poloniam. Quã de re novus Rex appellatus, reclamantibus postulato tam hostili nonnullis Procerum, non se, inquit, deterioris conditionis Regem velint, quam Decessores sui erant; satis jam turbatum in Polonia datum est, latis fuscum sanguinis; gaudeant suis nobiscum juribus Dissidentes, & quæ alia Rex, qua est sapientia insigni, animoq; Heroico, illis respondit. Atq; ita hostes Evangelii spe suã frustrati, inq; ruborem dati, re infectã hactenus discesserè, nec amplius nostrorum jura seu Religionem tentare ausi sunt. Rex ergo die 27. Junii, in Templo Cathedrali Warsaviensi, operante Sacris Archiepiscopo Gnesnensi Regni Poloniæ Primate, juramenti gravissimi religione fidem suam Reip: juxta præscriptam formulam, solenniter obstrinxit. in cujus juramenti argumento istaq; verba ex Reip: & Regis ipsius ore audiui; *Dissidentibus in Religione pacem ac securitatem servabo, & manutenebo, nec cuiquam Religionis causã injuriam vel damnum fieri patiar, aut ipsemet faciam &c. ita me Deus adjuvet, & hac S. Evangelia ejus.* Quò audito ego tum in templo præsens, profusus gaudio lachrymis, Hymnum Ambrosii & Augustini; *Te DEum laudamus*, unã cum populo Polono cecini, DEOq; gratias pro tantã salute egi. Atq;  
ita,



ita, commissio Warssaviae praelio Ecclesiastico, sub signis MICHAELIS  
FILII DEI, cum Dracone & Angelo ejus Anti-Christo pugnavimus,  
& (Laus sit Deo) vicimus feliciter. De qua fratrum vestrorum in  
Polonia felicitate ut gaudeatis nobiscum, Deumq; celebretis, Patres  
& Fratres nostri nobis in Christo Jesu conjunctissimi, est sanè,  
de quo Charitates vestras seridè oremus. Dimissis Comitibus, man-  
dato Nobilitatis Lutheranae, Dominorum nostrorum Patronorum,  
ut in Sveciam, Daniam, et in florentissimum Ducatum Mega-  
politianum, inchoati abhinc triennio negotii conficiendi causa, tra-  
ficerem, è Polonia, eodem, et ad electissimas in Domino Ecclesias  
Vestras appuli, quodq; abhinc triennium, ab Augusto ac Divino  
Vestro Principe Dn. GUSTAVO ADOLPHO, Domino & Patrono Evan-  
gelii clementissimo per literas supplices Collectae Ecclesiasticae bene-  
ficium petieram atq; impetraveram; nunc redditis coràm pietati  
Serenissimae in audientia illustri gratias, id ipsum apud Chariti-  
tates Vestras procurare constitui. Quam Ecclesiis Polono-  
rum Orthodoxis indultam benedictionem Deus pietati Ducali vita  
longa & paceq; ac Ducatum suorum felicissimo regimine compen-  
sare, vota q; ejus omnia coronare velit! Nunc igitur ad Charitates  
vestras, Antistites Eminentissimi, Praepositi & Pastores Ecclesia-  
rum Megapolitanarum venerandi, universas per Poloniam dis-  
persas Ecclesias Lutheranas, fratres, inquam, Vestros afflictos  
adduco, atq; per amorem Filii Dei, & per commune Evangelii stu-  
dium, humillimè oro, ut ipsis Charitatis Vestrae fraternae viscera ape-  
rire, quamq; Princeps sacratissimus indulset clementissime, stipem  
procurare quamprimum, colligereq; in Ecclesiis Vestrae fidei com-  
missis, ne gravemini. Fundando Bojanoviensi Gymnasio Or-  
thodoxo salutiq; tum Polonae, tum etiam omnium, quotquot in  
Polonia Religionis causa aliunde ejecti exulant, Bohemorum, Mo-  
ravorum, Silesiorum, & Cassubiorum populorum, Juventuti ista  
conquiruntur auxilia. Cumq; reformatione in Provinciis Caela-  
reis nondum remittente, plurimi illinc ad nos in Poloniam sese  
etiamnum recipiant; qvì, quæso, tot hospitem miserorum juven-  
tuti studiosae, in salutaris Evangelii doctrina erudiendae ac  
sustentandae, sufficiemus nos Poloni miseri, tot bello-  
rum calamitatibus ad assem redacti, & propè ad animam con-  
fecti? Prima hæc est à rerum Evangelii memoria, & credite, an-  
te



te consummationem Seculi ultimâ charitâs, de quâ Vos, Patres & Fratres nostri beatissimi, non una particularis, sed universâ hinc inde in Polonia dispersâ, ac sub jugo Anti-Christi ingemifcentes Ecclesiâ Orthodoxâ, nunc, per me indignum Servum suum, fraternâ appellant confidentiâ. Cumq̃ve subsidium istud, non ut promiscuam hodie stipem, in ædis alicujus exustâ; aut privati hominis usum, sed maxime in Evangelii, totq̃ gentium exultantium juventutis conservationem, tanquam generale quæramus charitatis sacrificium; ideoq̃; fraternas vestras, Patres & Fratres Beatissimi, manus iterum deosculamur, quâq̃ve par est humilitate, VOS oramus, ut nostras Polonorum necessitates, atq̃ve audentissimam petitionem Ecclesiarum Patronis nobilissimis, Ecclesiisq̃; ac Symmystis Vestris exponere & commendare, eosdem ad studium Charitatis, quâ præstatis auctoritate & eloquentia Divinâ, adhortari, imperatumq̃ve à Ducali pietate Symbolum ab ipsis paternè & fraternè expeçere velitis. Vestras quoq̃; Charitates affectu singulari & ardente obsecramus, ut, intuitu tam sumptuosæ in Polonia ac necessariæ foundationis, Symbola, sive, quas vocant, COLLECTAS acceptas, quibus idâ Divina benedictione datum est, suo quoq̃ve asse adjecto, pro suo in nos affectu fraterno (quod ipsum etiam Venerandi in Dania et in Svecia Episcopi & Pastores fecerunt) injussi quidem à Principe, ultro tamen & proprio pietatis affectu, augere ne dedignemini; ut ita ista tot itineribus, periculis, laboribusq̃ve ac sumptibus quæsitâ Charitatis Vestræ auxilia, auctiora ad nos in Poloniam redundare queant: & simul atq̃; collatæ fuerint ut Vestrâ, Eminentissimi Superintendentes, paternâ curâ huc ad Conclave Consistorii Ducalis Gustavoviensis quam primum transmittantur atq̃; hic deponantur, iterum supplicamus.

Quam Vestram in nos, Evangelii Confessores in Polonia martyresq̃ve tanto jam tempore constantissimos, charitatem & munificentiam, & in hoc seculo palàm toto Orbe, & olim, in gloriosissima FILII DEI apparitione, coram Angelis & universa Sanctorum Communione, testabimur publicè, verbisq̃; laudabimus gratissimis. Deus autem & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis coram Augustissimo Principe serenissimam dedit gratiam, fraterna Vestra ad misericordiam viscera moveat, præstetq̃; ut à Charitatibus vestris, sanctum istud subsidium hac prima tantum & ultimâ vice, proventu largiore, obtineamus feliciter! Vivite, & agite in DOMINO Jesu diu nimis atq̃; prosperrimè!











F. Reppien.









ita, commissio Warſaviae prælio Ecclesiastico  
 FILII DEI, cum Dracone & Angelo ejus Anti-  
 & (Laus sit Deo) vicimus feliciter. De qua f  
 Polonia felicitate ut gaudeatis nobiscum, Deus  
 & Fratres nostri nobis in Christo Jasu con-  
 de quo Charitates vestras serio oremus. Din-  
 dato Nobilitatis Lutheranae, Dominorum nost  
 ut in Sveciam, Daniam, et in florentissimu  
 politanum, inchoati abhinc triennio negotii c  
 ficerem, e Polonia, eodem, et ad electissimas i  
 Vestras appuli, quodq; abhinc triennium, ab  
 Vestro Principe Dn. GUSTAVO ADOLPHO, Domi  
 gelii clementissimo per literas supplices Collec  
 ficiam petieram atq; impetraueram; nunc red  
 Serenissima in audientia illustri gratis, id  
 tates Vestras procurare constitui. Quan  
 rum Orthodoxis indulgam benedictionem Dei  
 longam a paceq; ac Ducatum suorum felicissim  
 sare, vota q; ejus omnia coronare velit! Nunc i  
 vestras, Antistites Eminentissimi, Præpositi &  
 rum Megapolitanarum venerandi, universas  
 persas Ecclesias Lutheranas, fratres, in qua  
 adduco, atq; per amorem Filii Dei, & per com  
 dium, humillimè oro, ut ipsis Charitatis Vestræ  
 rire, quamq; Princeps sacratissimus indulget  
 procurare quamprimum, colligereq; in Eccle  
 misis, ne gravemini. Fundando Bojanovi  
 thodoxo salutariq; tum Polonæ, tum etiam or  
 Polonia Religionis causâ aliunde ejecti exulant  
 ravorum, Silesiorum, & Cassubiorum populo  
 conquiruntur auxilia. Cumq; reformatione i  
 reis nondum remittente, plurimi illinc ad ne  
 ciamnum recipiant; qui, quæso, tot hospitiu  
 tuti studiosæ, in salutari Evangelii doct  
 sustentandæ, sufficiemus nos Poloni mi  
 rum calamitatibus ad assem redacti, & prop  
 fecti? Prima hæc est à rerum Evangelii memo

HAELIS  
 vimus,  
 um in  
 Patres  
 fané,  
 man-  
 orum,  
 Mega-  
 sâ, tra-  
 clefias  
 Divino  
 Evan-  
 bene-  
 pietati  
 Char-  
 lono-  
 li vita  
 mpen-  
 ritates  
 clefia  
 n dis-  
 flictos  
 ii stu-  
 a ape-  
 stipem  
 com-  
 o Or-  
 vot in  
 , Mo-  
 ti ista  
 Cala-  
 n sese  
 uyen-  
 dæ ac  
 bello-  
 con-  
 e, an-  
 te

